



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

277. An Regulares vigore privilegiorum possint dispensare ratione alicuius
urgentis necessitatis in voto castitatis absolute, in quo casu potest
Episcopus dispensare? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. res. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

2. Restat modò respondere ad cætera argumenta que adducit Peregrinus; & ad illud fundatum supra dictam clausulam appositam nominatim à sacra Pœnitentiaria, addita confessione, & non aliter, &c. respondeo quòd dicta littera sacra Pœnitentiariæ emanant in fauorem particularium personarum, & ideo non est mirum si Summus Pontifex velit tales gratias concedere cum illo onere & conditione; sicut autem dicendum est in casu nostro; nam priuilegium conceditur integro Ordini Religiosorum, quo casu magis favorabile censetur, & ideo latè interpretandum est, vt late probat Tamburinus loco citato; vnde non sequitur id, quod intendit Peregrinus. Ex quibus etiam patet responsio ad secundum argumentum. Ad tertium verò vbi asserit quòd persona prudentis est semper cum potest incedere per viam tutam, sic etiam est facere suas actiones tutas dum potest, & non exponere illas sub opinione Doctorum. Respondeo quòd quando quis operatur cum opinione probabili, operatur tutè, & incedit per viam tutam, & tutas facit suas operationes, & reuera ita est, vt asserunt omnes Doctores. Vnde re- cte Io. Sancius in selectis disp. 44. numer. 66. obseruat, quòd dum communitur inquit Doctores inter opiniones probabiles dari vnam securiorem, & tutiorem altera, non ita est intelligendum, quòd maius periculum incidendi in culpam inueniunt possit, vnam opinionem sectando, quam aliam, nam cum quilibet opinio probabilis tutam reddat conscientiam in operando, non minus tutus erit operans iuxta vnam, quam iuxta aliam opinionem. Ita ille, & hæc dicta sufficiant circa opiniones, & defensiones Peregrini.

RESOL. CCLXXVI.

An Regulares possint commutare, vel dispensare votum peregrinationis ultra duas dietas: Ex p. 3. tr. 2. R. 1. 2. 1.

§. 1. Peregrinus in compend. nostrorum priuilegiorum, part. 1. titul. absolutio, §. 12. negatiuam sententiam docet, & duas dietas Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 1. 6. n. 1. Bartholomæus à S. Fausto in thes. Relig. q. 1. 7. n. 1. & alij asserunt esse viginti leucas. Sed noster Molfesius in summa, tom. 1. tract. 1. 1. c. 1. §. n. 1. 34. docet, quòd votum peregrinationis vltra duas dietas intelligitur de peregrinatione, quæ duobus diebus compleri nequit, & ad summum est sexaginta miliariorum, & ita se habet communis praxi. Ita Molfesius, quod est valde notandum.

2. Verum non desinat hic adnotare, quod noster P. Alfonso de Leone in tractat. de offi. io, & potest. Confessor. tom. 2. recollect. 10. numero 173. tenet, Regulares posse dispensare, & commutare vota peregrinationis vltra duas dietas, & hoc per expressum priuilegium, quod habetur in compend. priuileg. Congregationis sanctæ Mariæ Eulsiensis, verò dispensatio.

RESOL. CCLXXVII.

An Regulares vigore priuilegiorum possint dispensare ratione alicuius urgentis necessitatis in voto castitatis absolute, in quo casu potest Episcopus dispensare? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 50.

§. 1. Vniuersum est dubium: pro quo suppono certum esse vota referuata, siue sint vota castitatis, siue Religionis, non ita amare ac rigide accipienda esse, vt nunquam liceat Episcopis in illis dispensa-

re; licet enim illis in his votis castitatis perpetua, ac religionis (& idem de cæteris referuatis) dispensare etiam cum solutis, & non conuictis, vt incant matrimonium, quando magnum periculum incontinentiæ imminet; & non est facilis aditus ad Summum Pontificem præ paupertate, aut alia causa; quia non est credendum esse mentem Summi Pontificis velle in tali casu referuare sibi hæc vota: neque est verisimile velle eum, vt animæ laqueis voluntariis irretitæ in eo periculo sine remedio relinquantur. Et ita docent expresse Sanchez lib. 8. de Matr. disp. 9. n. 22. Syluester verb. votum 4. quest. 4. Nauarrus in summa Latin. c. 12. num. 76. Palatinus in 4. dist. 38. disp. 2. col. 9. vers. & quidem Episcopus Henriquez lib. 6. de penitentia, cap. 14. n. 7. in commento lit. P, & lib. 7. de Indulgentiis, cap. 90. num. 6 in commento lit. B, Sà in summa verb. votum, vbi de voti irratione, num. 1. Valentia 2. 2. disp. 22. quest. 6. punct. 7. col. 10. vers. ex quo sequitur. Aragonius 2. 1. quest. 88. articulo 12. & alij communiter.

2. Nec solum quando imminet periculum solius incontinentiæ ex mora, & Summus Pontifex non potest commodè adiri, potest Episcopus in voto castitatis, aut religionis dispensare; sed etiam si aliud quodecumque graue periculum imminet, vt grauis scandali, vel magni detrimenti tertiæ persona; qua ratione asserit Sanchez lib. 8. de Matr. d. 9. n. 22. post medium, se hæc de re consultum censuisse, potuisse Episcopum dispensare cum iuvene, qui voto Religionis adstrictus virginem deflorauerat, ac grauidam effecerat volebatque eius famæ consulere eam dicens, eratque periculum in mora, quia si dispensatio Pontificia expectaretur, impediretur matrimonium à consanguineis iuuenis; qui illi repugnabant, ac mutaretur iuuenis voluntas quæ non tam firma erat, quin facile mutari posset, ac de facto dispensasse Episcopum: & ita docet idem Sanchez à legatus, & fauent Syluester verb. votum 4. q. 4. & Henriquez lib. 6. de penitentia, c. 14. n. 7. in commento lit. P, & lib. 6. de Indulgentiis, c. 90. n. 6. in commento lit. B, qui non limitant periculum ad incontinentiam, sed generaliter dixerunt posse Episcopum dispensare, quando nequit adiri Papa, nisi periculum interueniat in mora; & idem sentiunt omnes Doctores, qui generaliter hæc de re loquentes, affirmant ob incontinentiæ periculum, vel aliam grauem causam occurrentem posse Episcopum dispensare, si Summus Pontifex facile adiri non potest. Ita Doctores loc. cit.

3. Hoc supposito ad dubium propositum affirmatiuè respondet Croulers in Regulam S. Francisci, cap. 7. lect. 29. fol. 78. vbi sic ait. Dubitare tamen hoc loco aliquis potest, quòd cum Mendicantes dispensare possint in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: verum sicut Episcopi dispensant in voto absoluto castitatis, & Religionis, quando vouens taliter est constitutus, vt propter incontinentiam votum eiusmodi sit ipsi maxime periculosum, nec est facilis votum habenti accessus ad Pontificem, vel propter paupertatem, vel propter distantiam, & interim vrget, vt dictum est, periculum incontinentiæ: vtrum, inquam; in tali casu non possint Mendicantes dispensare, vel commutare per priuilegia sua? Negat Sanch. 1. 4. oper. Moral. c. 43. n. 7. Ratio eius est, quia in tali casu votum eiusmodi est verè referuatum, ac dispensatio verè cadit in materiam referuata; & ideo casus illi non censentur Episcopales, nec Episcoporum iuri ordinario subiecti; sed per accidens potest Episcopus in illis dispensare, ex quadam benigna voluntatis referuatis interpretatione. Verum ego non video, quomodo per accidens tantum hoc possit Episcopus: quandoquidem ipsemet Sanchez c. 40. n. 2. §. doceat, quòd seclusa referuatione, sit integrum Episcopis dispensare in suis Diocesibus in omnibus votis, sicut Pontifici in toto orbe: quod cum

batur, paulo post initium, 2. vers. Secundo votum, & in to 4. tr. 3. Ref. 19. ex eius doctrina diuersis illius §§. signat in §. Sed eius a lin. 5. & in tom 8. tr. 4. Ref. 38. §. vic. cursum in aliis §§. eandem notationum.

Sup. hoc supra in R. 267. à §. sed ego, & §. vit. & in tom 3. tr. 3. R. 4. §. vnde; & seqq. & in Ref. 3. not. 1. huius Ref. §. Obseruandū, & seq. & in Ref. 4. in eodem §. in fl. 10.

ita sit, vel Episcopi in dicto casu dispensare possunt privilegio ipsis concessio post reservationem vniuersalem hunc etiam casum includentem; & hoc nullus admittit; quia de tam vniuersali reservatione, nec vilo iure, nec consuetudine constat, sicut nec de privilegio. Restat ergo, vt dicamus id posse Episcopos: quia ex modo reservationis rationi congruo constat, id Episcopis mansisse residuum ex antiquo iure, quod habebant, dispensandi in omnibus votis per suas Dioceses, sicut Pontifex: ac proinde potius per accidens esse, quod tam ampla potestate non amplius gaudeant, quam quod hæc tantilla ipsis adhuc conueniat. Quod autem dicit, quod votum eiusmodi sit verè reseruatum, non video, quia ratione id intelligat: vel enim vult reseruatum esse secundum speciem, & hoc non potest dici: quia sic votum eiusdem matetie factum ex metu leui per iniuriam incusso esset reseruatum, quia est eiusdem speciei, & tamen non est reseruatum; vel intelligit esse verè reseruatum in individuo, & secundum individuum, & hoc manifestè falsum est, quia si sic reseruatum esset, in eo non dispensaret Episcopus. Dispensat autem non potestate delegata, sed quam delegare possit, ac proinde ordinaria, cum sit perpetuè annexa dignitati Episcopali, idque non ex privilegio, iuri etiam incluso, per quod scilicet id ipsis concederetur, quod iure non poterant: sed iure ordinario, per quod ipsis manet dicta potestas, quamdiu non fuerit ipsis legitime sublata, circa similes casus. Quæ cum ita se habeant, non video, quare Ordines mendicantes per sua privilegia valentes dispensare in votis sicut Diocesanus, in hoc vel simili casu id non possint. Hucvique Croulers.

4. Sed vt verum fatear, sententia negatiua Sanchez, quam ipse impugnat, est communis inter Doctores, & ita docet Henriquez lib. 9. de penitent. c. 14. num. 7. litt. P. Rodriguez in Bull. Cruciatæ §. 9. num. 118. & de Questionibus Regular. tom. 1. quæst. 41. art. 9. & 9. 63. art. 6. & Suarez tom. 2. de Relig. tract. de voto, cap. 16. num. 18. & 19. Et ratio est, quia Religiosi habentes privilegium dispensandi in casibus Episcopalis minime possunt dispensare in casibus, qui non iure ordinario, sed ratione vrgentis necessitatis competunt Episcopis: quia hi non dicuntur simpliciter casus Episcopales sed verè ad Pontificem pertinent; & solum ex quadam iuris interpretatione Episcopis censentur permitti. Et hanc sententiam nouissimè docet etiam Fagundez in Precepta Decalogi. tom. 1. lib. 2. c. 45. num. 15.

RESOL. CCLXXXVIII.

An votum castitatis emissum ante contractum matrimonium possit commutari virtute privilegiorum, quibus fruuntur Regulares, vt vouens possit petere debitum?

Et quid super hoc quoad Episcopum, Bullam Cruciatæ & Iubilæum?

Et docetur, quod dispensatio ad petendum debitum potest fieri extra Sacramentum Penitentia, & in casu necessitatis in absentia. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 16.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Refol. 76. §. Eandem, & in R. 13. §. vlt. in fine. infra ex Ref. 280. lege §. penult.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Leander de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 117. vbi querens, an votum castitatis emissum ante contractum matrimonium, possit virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari à confessorio, vt possit vouens petere debitum? Et respondet non posse virtute Bullæ aut Iubilæi, aut privilegiorum Religionis. Quia cum castitatis votum, sit Pontifici reseruatum, eidem ipsius obligatio quæ, est ne coniugis debitum petatur, reseruatæ est. Ita Leander.

2. Verum ego libenter ipsi adhareo quoad Bullam Cruciatæ, & Iubilæum, vt alibi docui, & docet Escobar in theol. moral. tom. 1. lib. 7. scilicet 2. c. 34. Probatur §. 7. numer. 724. Magister Gallego in Bull. Cruciatæ, cap. 9. claus. 9. part. 3. s. 1. dub. 169. & alii. Tamen proterius dissentio quoad Privilegia Regularia, & ita docet Andreas Mendo in Bull. Cruciatæ, disp. 26. cap. 13. num. 120. vbi me citato sic ait. Inferur duodocimæ votum castitatis emissum ante contractum matrimonium, non posse commutari virtute Bullæ, vt possit vouens petere debitum. Ratio, quia illud votum fuit absolutum omnimodæ castitatis, & perfectum, quare nulla eius obligationis pars potest commutari, nisi ab eo, cui est tota obligatio reseruatæ, nempe Pontifici, vel ex eius indulto id specialiter concedente. Nec obstat, Episcopum posse dispensare in eo voto ad petendum debitum. Nam vt omnes prædicti Authores docent, id quod Episcopi ex iure speciali, aut ex consuetudine non vero id prouenit ex natura reservationis, per Bullam autem commutari possunt ea vota, in quibus potest Episcopus dispensare, non ex iure speciali, aut consuetudine, sed attenda reservationis natura.

3. Falsò autem asserit Leander, non posse commutationem prædictam fieri, non solum per Bullam, aut Iubilæum, sed nec per privilegia Religionum. Etenim per ea privilegia potest dispensari (& à fortiori commutari) cum his, qui post emissum votum simplex castitatis, matrimonium contraxerunt ad hoc vt debitum petere valeant, admonito eo, cum quo dispensatur, vt votum seruet, si coniugis sit superstes. Sic concessit Pius V. Franciscanis die 26. Octobris anno 1569. Quo privilegio fruuntur omnes Religiones communicantes in cæterarum privilegiis. Et in nostra Societate eo vti queunt omnes confessarij, quibus Prouinciales id commiserunt, vt habeatur in Compendio privilegiorum Societatis, verbo dispensatio §. 9. Ita Mendo, cui adde Martin de S. Ioseph in Regul. Sancti Francis part. 2. §. dispensatio, mer. 12. & 14. vbi me citato putat, quod hæc dispensatio ad petendum debitum potest fieri extra Sacramentum Penitentia, & in casu necessitatis in absentia per scriptum.

RESOL. CCLXXXIX.

An Confessores Regulares possint dispensare cum his, qui in primo gradu affinitatis contraxerunt? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 27.

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Brunus de privilegio Regular. part. 1. tract. 5. cap. 5. prop. 3. vbi Aduerte pro huius propositionis corollario, Roffensis virum magnæ Sanctitatis & doctrinæ, qui pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit, in libello qui inscribitur De causa Matrimonij, in principio affirmare Leonem X. Augustinianis per totum Orbem existentibus concessisse per Bullam, vt cum his qui in primo gradu affinitatis scienter, vel ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit; neque in iudicium productum, dispensare valeant, vt de nouo contrahant, & in eodem item matrimonio contracto maneat, pro etiam legitima. Hæc Roffensis; de quo privilegio non audeam dubitare propter viri eminentis Sanctitatis, & doctrinæ testimonium.

2. Nec obstat primò quod non sit in vsu, quoniam præter quod non constat de hoc non vsu, cum versetur circa occulta, quæ solis Confessorio, & penitentia sunt nota, probauimus in tractatu de privilegiis in communi, privilegia, non amitti per non usum.